



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Secunda. Negotiatio sit honesta. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

CAPUT II.

Omnes Socii aliquid confe-
rant.*Qua est Condicio Prima.*

Qui ad negotiationem simul coeunt, debent omnino aliquo tandem modo ad illam concurrere, sive pecunia, sive opera, sive industria, sive instrumenta, vel materiam praebendo, &c. Ratio est, quia, si nullo modo concurrant, unde titulum habebunt ad lucrum ex Societate contrahendum? Palliat ergo usuram, seu melius factum manifeste committit, qui ex negotiatione aliorum partem lucri habere velit, sedente ipso domi, & nihil prorsus conferente. Id, praeterquam, quod saepe tangetur in sequentibus, ita clarum est, ut majori discussione non indigeat.

CAPUT III.

Negotiatio sit honesta.

Qua est Condicio Secunda.

Hanc conditionem, ut negotiatio in qua contrahitur Societas, & pro qua pecunia exponitur, debeat esse licita, ponunt communiter Doctores, & eamque sic affert Textus. *b Si malefici Societas coita sit, constat, nullam esse Societatem; generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam Societatem esse.* Ex hoc ergo videtur sequi, si ego numerem pecuniam Meretrici v. grat. ut illa commoda domo instructa, & vestibus ornata lucretur, nullam prorsus fore Societatem.

1. Molin. d. 1. n. 3. sic affert Textus. b Si malefici Societas coita sit, constat, nullam esse Societatem; generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam Societatem esse. Ex hoc ergo videtur sequi, si ego numerem pecuniam Meretrici v. grat. ut illa commoda domo instructa, & vestibus ornata lucretur, nullam prorsus fore Societatem.

2. Verum distinguendum omnino est ante factum, & post factum, ut innuit Bonacina. *c Si enim consideres hanc illicitae negotiationis Societatem, antequam lucrum habitum fuerit, vel antequam turpis negotiatio fuerit facta, nulla est Societas, obliganturque socii, eam dissolvere, etiam re non integra, quia obligantur semper a peccato recedentes. At vero postquam peccatum commissum est, seu turpis negotiatio est patrata, & lucrum conquisitum, non videtur aequum, ut nulla sit Societas, ita ut in dicto exemplo Meretrix to-*

tum lucrum sibi in foro conscientiae retineat, nihil vero det ei, qui pecuniam contulit. Dico, *In foro conscientiae*, nam in foro externo conferenti pecuniam in usum malum, non dari actionem, immo eum puniri debere, d *Legarctam scio.*

3. Ut allatae distinctionis aliud exemplum habeas, fac, duos, vel plures per Societatem coire, ut occidant v. g. Petrum, spe, vel promissione acquirendi centum aureos ab eisdem Petri inimico. Hi profecto ante patratum scelus semper obligantur, iniquam hanc conspirationem deponere. At vero si, iniquitate persistente, factio ab omnibus impetu, collatoque sibi invicem auxilio, Petrum occidant cum aequali periculo, ne ipsi potius occidantur, quam Petrus, & ne a Principe aequali morte puniantur, non erit aequum, ut unus tantum acquirat centum praedictos aureos, & nihil Socii participent de lucro.

4. Quod si conferas tuas pecunias cum aliquo, qui illis pecuniis usuras exerceat, non est mirum, si tu nihil debeas participare de lucro, nam neque ille alius participare poterit, quia tunc totum lucrum est restituendum illis, a quibus acceptum contra Justitiam est: at in exemplis dictis, in quibus, post patratum scelus, pecunia, ex probabili sententia, retineri potest, ut alibi e docuimus, sane militat nostra doctrina.

5. Ex qua sic breviter, distinguendo, concludere, nullam esse Societatem ante factam negotiationem inhonestam, quia est rescindenda; post factam autem, tunc solum esse nullam, & totum ejus lucrum restituendum ei, a quo receptum fuit, quando lucrum fuit contra Justitiam commutativam receptum, non vero alias.

CAPUT IV.

Ut aequalitas servetur in conferendo,

Qua est Condicio Tertia.

1. Profecto non est aequum, ut tu v. g. conferas centum, & alius v. g. decem, addito pacto, ut aequale deinde lucrum reporteris. Quare, vel tunc aequales sint in aestimabilitate partes, quas uterque conferatis, vel certe lucrum, quod tu recipis, sit ad ratam ejus, quod contulisti, ut in quinta Conditione dicemus.

LIII 3

2. Ut